



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Controversiae Ecclesiastico-Historicae

Casteel, Gerard

Coloniae Agrippinae, 1734

VD18 10739254

Controversia XXVI. De Baptismo Constantini Magni.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68244](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68244)

CONTROVERSIA XXVI.

D E

*Baptismo Constantini
Magni.*

Quoniam ex veterum relatione pene omnium in confesso sit, quod Imperator Constantinus Magnus an. 19^{no} Imperii sui, ut est apud Eusebium in *Chron.* & nono, quo Cæsar est renuntiatus, Crispum filium suum natu majorem, ac dein Faustam conjugem suam extremo mortis supplicio affici iusserit: eoque crudeli facto; sicut Eutropius *Lib. 10. cap. 4.* observat, & Aurelius Victor obiter indicat, nominis sui famam obscuraverit; non æquè exploratum habetur, quæ causæ fuerint: quas quidem Orosius ait fuisse secretissimas. Zolimus *Lib. 1.* scribit filium fuisse suspectum, Zonaras, & plurimi produunt, Crispum illius criminis à Faustâ noverca apud Imperatorem insimulatum; cujus Hippolitus à Phædra fertur accusatus. Ut verò mente credula nihil infelicis; patrem circumventum mortis sententiam tulisse in innoxium, utrunque Scriptores consentiunt. Quo demum cognito, Faustam interfici iussisse narrant. Obinde

nihilominus à divina Nemese elephantia, seu leprâ percussum volunt, cujus curandi causa sibi ex infantium sanguine, id suadentibus medicis, velut unicum sperandæ sanitatis remedium, parari fecerit balneum. Sancti verò Apostoli Petrus & Paulus Constantino apparuerint, præceperintque, ut, si ex lepra curari vellet, omissa impii balnei immanitate. Pontificem Romanum Sylvestrum, in Soracte monte latitantem, accerferet; & baptismi gratiam postularet: qua obtenta, sacroque latice, per eundem Pontificem expiatus sanitatem mox receperit.

Sunt, qui rejiciendam volunt hanc narrationem, tanquam historicæ veritati parum conformem: quandoquidem Constantinus Magnus, juxta eorum opinionem, diu post Crispi Faustæque fata fuerit baptizatus; undecimo scilicet Kal. Junii, morti vicinus, in suburbana villa Nicomediæ, quam Achironam vocant; ubi à Loci Episcopo hoc Sacramentum regenerationis susceperit. Itaque de tempore & loco ministroque hujus suscepti

N a

pti

pi à Constantino Magno baptisimi Controversia agitur, non solum inter Orientales & Occidentales: sed etiam inter ipsosmet & Orientis & Occidentis Scriptores, seu historicos Græcos, seu Latinos.

Eundem Imperatorem à Sylvestro Pontifice, sicut supra relatum, undâ sacrâ ablutum sustinent Theophanes Abbas, miraculorum gloriâ illustris, magnisque honoribus in Concilio œcumenico VII. affectus, Cedrenus, Zonaras, Balsamon, Nicephorus Callixtus Græci. Ex Latînis Marianus Scotus, Platina, Sabellicus, Reginaldus Polus, Genebrardus, Canus, Bellarminus, Baronius & alii bene multi, inter quos recentissimè Benazre Gallus, Canonicus Agennensis, Dissert. 6. illud propugnat, qui hisce ducuntur.

I. Constantinum M. baptizatum Romæ à B. Sylvestro referunt acta illius Pontificis antiquissima: quæ licet ex omni parte non sint integra, à Gelasio tamen item Pontifice Romano recensita, atque per decretum Synodicum cum veneratione sunt suscepta. De quibus in cit. decreto dicitur. *Et quâquam nomen, qui scripsit, ignoremus, à multis tamen in Urbe Romana Catholicis legi cognovimus: & pro antiquo usu multa hoc imitantur Ecclesia.*

II. Acta primi Concilii Romani eodem anno, quo Sylvester Constantinum baptizavit, ab ipso Pontifice celebrati de illo referunt. *Cum multi nobiles gauderent, quod Constantinus baptizatus esset à Sylvestro Episcopo Urbis Romæ, & mundatus esset à lepra: pro hoc beneficio, quod accepit à Domino nostro Jesu Christo per Sylvestrum Episcopum, cepit integrè prædicare eundem Dominum nostrum Jesum Christum, & promulgare ejus beneficia.* Quod testimonium luculentissimum omne dubium, de collato per Sylvestrum baptisimo, meritò remove debet.

III. Zosimus Historicus Græcus tempore Theodosii Junioris prodit, quod Constanti-

nus post necem filii Crispi & Faustæ conjugis remorsum conscientia indefinenter sentiens, frustra que mali remedium per sacrificia idololatrica requirens, Hispanum quendam, nomine Ægyptium Romæ degentem convenit, à quo edoctus, quemadmodum Christiana Religio virtute polleret, ut cupere posset crimina; Imperator dictis fidenter adhibens, abjurata superstitione, eandem Religionem Catholicam amplexus, & baptizatus fuerit. Præclarum insuper susceptum ejusdem Religionis à Constantino, extra apud Severum Sulpitium *Lib. 2. hist. cap. 47. testimonium: fuit, inquit, abhinc annis IX. & LXXX. à quo tempore Christiani Imperatores esse cœperunt* (& cap. sequenti.) *Namque dum Constantinus rerum potestor, qui primus omnium Romanorum Principum Christianus fuit.* Alibi quoque ab eodem Severo Constantinus vocatur Christianus, quo nomine nemo unquam, nisi post lavacrum generationis, vocatur.

IV. Nicolaus I. Pontifex Maximus in Epistola ad Michaëlem, Imperatorem Græcorum, vocat Sylvestrum Magni Constantini Baptizatorem. Alii quoque Pontifices eundem Imperatorem Romæ illud Sacramentum devotè suscepisse perhibent. Fit etiam ejusdem rei memoria apud Anastasium Bibliothecarium, apud Wandalbertum, aliosque Authores Martyrologiorum, nec non à Martyrologio & Breviario Rom. Quæ, cum diversorum Pontificum jussu & auctoritate revisa, ac demum recognita fuere, falsa continere, sine temeritate asseri non poterit.

V. Constantinus, Eusebio teste, signo Sanctæ Crucis, sibi miraculosè apparentis, hostes prostravit & profligavit. Fuit item in lacris mysteriis apprime instructus, templâ edificavit, Altaria construxit, sacris Conciliis interfuit, Episcopos summo in honore habuit, Christianos protexit, sanctissimas in favorem Religionis Christianæ leges condidit.

Atqui hæc pluraque alia devotionis opera, ab Eusebio in ejus vita copiosè recensita, gentili minimè conveniunt: sed Christianum zelosum satis superque indicant. Ut proinde Nicephorus rectè subinferat, dum de Constantino *Lib. 7. cap. 37.* scribit. *Quod si nondum sacri lavacri particeps fueris; consequitur; eum neque in Nicæna Synodo cum Patribus congressum esse, & eum eisdem divina mysteria non participasse. Quomodo vero aliter benedictione eorum dignus reputatus esset, uti historia tradit?*

VI. Illud ipsum, quod etiamnum Romæ in templo visitur baptisterium à Constantino Magno instructum, irrefragabile censei debet ibidem suscepti Sacramenti argumentum. Quod si enim monumentum hoc tam insigni constructum apparatu, si rerum veterum publica commemoratione, non solum habitantium animis: sed lapidibus etiam insculpta nullum nobis argumentum est: jam non dico, inquit Canus *Loc. Theol. Lib. 11.* quod vetustatis in urbe monumenta sint: sed quæ sunt in orbe, majorum traditione recepta, ire ea omnia inficias poterimus; quamvis indicia extant rerum, locorum, temporum manifesta. Quomodo ergo credibile Imperatorem talem ab homine hæretico, non nisi ultimo vitæ suæ tempore, fuisse baptizatum? Certè si rationes deficerent, lapides clamabunt, & testimonium reddent de baptismo Romano, sicut Reginaldus Polus ominatur.

Quibus alia de baptismo Constantini Magni in hæretici animi sententia, & numero plures sunt, & argumentorum pondere hæud inferiores. Hunc Imperatorem, Nicomediæ decumbentem Sacramento baptismi regeneratum, ultra Authores trecentos sentire testatur Janæingus è Societ. Jesu. in *Apolog.* Inter quos sunt coævi, suppare, totoque orbe sparsi doctissimi Scriptores; quibus adnumerandi Aeneas Sylvius, postea Pius II. Rom. Pontif. Pomponius Lætus, Nicolaus

Cusanus S. R. E. Cardinalis, uti & Peronius, Petavius, Hermantius, Lambecius, Valefius, Papebrochius, &c. qui cum modernis plerisque omnibus Romæ baptizatum negant, atque in sequentibus præsidium suæ opinionis constituunt.

I. Eusebius Pamphili, Constantino familiarissimus, in *vita lib. 4. cap. 61.* ita scribit. *Ut verò ei in mentem venit extremus vitæ suæ dies; existimaretque hoc tempus opportunum esse ad delenda, illa errata, quæ, quoniam mortalis erat, admiserat, crederetque arcanorum mysteriorum efficacia, & salutaris lavacri initiatione mentem expiari, &c.* Prosequitur deinde idem Historicus *cap. seq.* quomodo Imperator fuerit adhortatus Episcopos, ut donarent eum baptismate: & quomodo ex omni omnium Imperatorum memoria ipse solus in Christi Martyriis Nicomediæ renatus, & candidissimo in lecto se reclinans Deo pro tanto beneficio gratias egerit: & demum, ipso Pentecostes Festo, circa meridiem obiit. Adstipulatur S. Hieronymus in *Chron.* ubi legitur. *Constantinus extremo vitæ suæ tempore ab Eusebio Nicomediæ Episcopo baptizatus.* De eo Ambrosius *Orat. Funeb. Theod.* loquitur. *Cui licet baptismi gratia in extremis constituto omnia peccata dimiserat.* Idem constat ex *Epist. Synod. PP. Conc. Arimin. ad Constantium*, anno post obitum parentis extratque apud Athanas. *Lib. de Synod. Arimin. &c.*

Testimonium pariter dicunt Socrates, Sozomenus. *Hist. Eccles. lib. 2. cap. 32.* ubi habetur. *Imperator, cum morbo vehementius urgeretur, Nicomediæ deportatus est. Ibi autem, cum in suburbis moraretur sacrosancto baptismatis mysterio initiatus est.* Theodoretus *Hist. Eccles. lib. 1. cap. 32.* Elapso autem anno & paucis mensibus, cum esset Nicomediæ, morbo corripitur. Ibi quod sciret, quam esset incerta horum vitæ, donum suscepit sacri baptismatis. id enim facere ad illud usque tempus distulerat: quia in Jordane fluvio

fluvio se consecuturum speraverat. Cassiodorus *Hist. tripart. lib. 3. cap. ultimo* eadem recenset. Atque Evagrius *Hist. Eccl. lib. 3. cap. 4.* Theodoretum testimonium citat contra Zosimum. Eadem de Imperatore narrat Gelasius Cyricensis, apud Photium *Cod. 88. S. Isidorus*, aliique bene multi.

Qui ex adverso sunt, Eusebii testimonium, quod præcipuè obstat videtur, infringere moliantur: atque imprimis illustrissimus Genebrardus *Lib. 3. Chronograph.* illud in dubium vocat hisce verbis. *Eusebius lib. 4. de vita Constantini ita obscure de quodam ejus lavacro (nam baptismum non appellat, & an intelligat jure dubites) loquitur, ut de eo plane incertus fuisse videatur.* Sed quam frustra querit rimam non invenit vir sagacissimus: siquidem præfixa huic capiti; sicut & subsequenti, summaria omnem dubitationem tollunt, quominus de baptismo ibidem non agatur: quomodo etiam citatus Photius *cod. 127.* intellexit. Prioris est summarium. *Inaqualis corporis intemperies, cum esset Helenopoli & preces ab eo, cum baptizaretur, adhibita.* Alterius verò. *Hortatur Episcopos Constantinus, ut donent eum baptismate.* Non sunt quidem hi tituli ab ipso Eusebio præfixi, haud diu tamen post, majoris claritatis gratiâ, & loco compendii appositi. Insuper *cap. 63.* refertur, quomodo Imperator, postquam baptizatus fuisset, Deum prædicaverit. Mirum itaque, quomodo Eusebius, viro intelligenti, & perspicacissimo videri potuerit locutus obscure. *Quidquid menti adversatur, ingestum oculis vix videmus.* Ennodius *Lib. 9. Epist. 27.* Cardinalis Baronius, cum eundem locum satis clarè intellexisset, suæque opinioni manifestè contrariari; castes rodit, negans homini Ariano hac in parte habendam fidem, qui vel nimium credulus, hæc de Eusebio Nicomedienfi, Arianismi fuligine pariter obscurato, in sui defensionem commentatus fuit, vel nimis arrogans hanc gloriam suo as-

seclæ comparare voluit. Sic vir magnus, ut sibi insitæ consulat opinioni, & cujus eruditionem profundiâ, memoriâ prodigiosam, in historicis solertiam tum ipse Purpuratus; tum alii Scriptores spectatissimi venerantur: dum rei ad votum non servit, & aliena manu opus corruptam diei nequit, eundem acerba epistoli, ut mendaciorum fabricatorem ac veteratorem perstringere non moratur: dumque alium ex affectu scripsisse culpam, ipsemet ex affectu judicat. Hoc profecto non est suavis veterum monumentis stabilire opiniones: sed iis rejectis, propriis litare persuasionibus. Verissimè Chrylostomus *homil. 12. in Epist. ad Coloss.* Cui plene aliquid persuasum esse non sinit aliam in se esse voluntatem. Feit Eusebius ob defensionem Origens, & favorem Ario hæresiarchæ aliquando exhibitum, traductus; attamen tanti habitus, ut S. Hieronymus nullam in scriptis illius lineam duxerit fugillandam: de quo *Epistola ad Pamphilium 65.* testatur, quod nullus sit eo prædentior, doctior, vel eloquentior. Defecisset autem in primo prædicato, si in gratiam sectæ, cui clanculo adhæsisse creditur, quidquam scripsisset, quo manifestè falsitatis potuisset redargui: sicut omnes orthodoxi præsertim Imperatorem, in Persiam moventem, Episcopi comitantes, indubiè arguerent; & historicum fide indignum monstrarent; si de baptismo, in plurium cœtu, Patri Constantino collato, figmenta obtrudere voluisset. De eo tamen nusquam legitur comprehensus. Eusebio derogare fidem in rebus historicis Arianorum causam nullatenus spectantibus nec juvenibus, quia Arianus fuit ineptum & inruditum est; ait Alexand. *lib. 4. dist. 22.*

Quantum ad Hieronymi autoritatem, mitior est citati Genebrardi interpretatio, quasi is sit deceptus viciniâ nominis, & falso rumore; qui sibi in terræ angulo posito (ut loquitur) multa ignota esse potuisse taceat.

Lib. de vir. Illust. Itaque quod de Constantino filio dicebatur, id traduxit ad Patrem, ille enim extrema ætate fuit rebaptizatus, & ut ait Damascenus, ab Eusebio Nicomedensi, Ariano. Ita ille.

Sed Quis credet quod Hieronymus, ad quem velut ad oraculum ex omnibus terræ partibus quæstiones varæ ferebantur, ad quem in arduis negotiis recurrerent Ecclesiæ proceres, quæ in orbis teatro, ab orbis capitibus ritu solemnissimo gesta sunt; ignorare potuerit, qui haud diu post Romæ vixit atque in ea, quæ Religionis erant studiosissimè inquisivit? Principum gesta singularia plerumque divulgari, & quasi per traducem propagari solent ad posterum; quomodo ergo Hieronymus, etiamsi Eusebius secundum Baronii opinionem, falsum scripserit; de tam illustri, & sempiternâ memoriâ digno Constantino facti potuisset in errorem induci, quando de contrario ex constanti traditione dudum fuerat edoctus? Rumoris falsitas de Baptismo Constantini Nicomediæ, non supponi; sed probari debet. Constantium filium Nicomediæ extremo vitæ tempore baptismum ab Ariano recepisse nullo antiquitatis suffragio præfertur: & si Damascenus narret; in eo potius, quam Hieronymus in alio, deceptus fuit; cui illud obstat, quod Constantius Romam cum exercitu profecturus lege lata omnes milites, non baptizatos, profligaverit, utique ergo fuit ipsemet baptizatus. Et si Hieronymus in orbis angulo potuerit falso rumore afflari; cur non æque potuit in cognitionem falsi pervenire?

Haud absimili methodo Baronius nititur testimonium Patrum in Concilio Ariminensi elidere. Fatetur in citata Epistola haberi quidem *Constantino post baptismum susceptum vitâ functo*. At textum esse depravatum; indeque deceptos Socratem, Sozomenum & Theodoretum; qui scribunt Constantinum in fine vitæ baptizatum; debe-

reque legi. Constantem, post baptismum receptum, vitâ functum. Verum Eminentissimus nactus versionem Petri Nanni, huic nimium fudit. Quod si legisset textum Græcum Anno 1600. editum ex novem codicibus MSS. translatum apud Philippum Labbeum, & Constantinum; utique mentem mutasset: sique nunc resurgeret, opinatur Janningus citatus, vi tantæ autoritatis compulsus iri, ut sententiam modernorum eruditorum, tantis fulcitam testimoniis, amplecteretur: quandoquidem in Annal: ad Annum Christi 324. num. 53. scripserit. *Quis audiens Athanasium etiam scripserit CONSTANTINUS, non statim intelligit causam (baptismi Constantini) adjudicandam, nec ullam esse alium defensionis locum.* S. Ambrosii testimonium gravissimum à nemine hucusque in dubium fuit vocatum; quo persuasi eruditissimi Ord. S. Bened. Congregationis S. Mauri in Gallia monachi profitentur in *not. ad eand. orationem*, paradoxum sibi videri, quod extent aliqui, qui ex actis apocryphis abstinatius defendere tentent, Constantinum Magnum fuisse à Sylvestro Papa Romæ baptizatum. Nihilominus quidam recentior nugari visus est, quando verba illa sancti Doctoris. *In extremis constituto* refert ad lepram; quasi verò leprosi omnes sint in extremo constituti vitæ termino, cui, manifestè refragatur, tum medicorum schola; tum ipsa experientia: præterquam quod ipsa nugatoris hypothesis valde creperæ sit probabilitatis, sicut infra patebit. Utrique veritus fuit scriptor ille, orbi erudito futurum ingenti detrimento, si cogitata sua, quibus mirè sibi placuit, privatorum parietum carceribus includeret, proinde chartis mandata divulganda duxit; quatenus & hoc modo in catalogo librorum nomen suum conspiceretur.

Quò autem magis vulgata opinio minus efficitur, apparetque probabilis.

Ad Primum Respondetur. Acta Sylvestri planè supposititia sunt, in quibus vindicandis frustra laboravit Baronius. Ita Pagius *part. 2. Crit. pag. 58.* Fabularum & mendorum partem deregii & coarguit ipsemet Cardinalis *An. Christi 315. num. 12. & seq.* Putrida sunt, quod Pontifex ille jejunium Sabbathinum abrogaverit, Dominicum diem instituerit, quod Romæ Synodum 75. Episcoporum congregaverit, cui interfuissent 109. Judæorum sacrificuli; quod Helena adhuc gentilis ad Judæismum inclinaverit: quod Constantinum filium ad religionem Christianam suscipiendam dehortata fuerit. In iisdem etiam actis Leges Imperiales referuntur planè ridiculæ. Quod verò Annalium conditor arbitratur hujusmodi aliena manu adjecta fuisse, seque posse sperat spuria à genuinis secernere; creditu difficile est. Multa enim, quæ ipse interpolata esse vult, ante sæcula octo in his actis extitisse (qualia sunt & illa, quæ de Eusebio Authore proferuntur) apparet ex Rathrami Corbientis *Lib. 4. adv. oppos. Græc. MS.* apud Thuanum; quorum fidem in his & aliis labare confitetur Baronius. Quomodo ergo cæteris, quæ his actis superstruit, fidem præstare poterit? Ipsemet ad *An. Chr. 324.* ingenuè fatetur his actis esse: *Multa à diversis superaddita, qua rem veram in discrimen possunt adducere, unde & factum, ut fidei illorum non parum fuerit derogatum.* Quæ de Constantini elephantia narrantur, jam, tempore Gelasii Pape, fidem amiserant publicam: & alia, quæ idem Pontifex non viderat, utilitati potius quæ ex Lectione relatorum gestorum in vulgus permanat, quàm rigori veritatis historicæ intendens, ad aliam usque recognitionem, conformiter usui antiquo quorundam Ecclesiarum, tolerat; cum nihil contra fidem contineant.

Ad Secundum Respondetur. Concilium illud esse confictum; sive dicatur primum,

Anno 313. celebratum; sive secundum, aut tertium Anno 325. à Sylvestro convocatum. Quidam enim primum cum secundo, alii secundum cum tertio confundunt. Ipsemet Baronius supposititium censet. Cujus acta, ab Adriano Pontifice ad Carolum Magnum missa, omni ex parte commentitia sunt. Viginti Canones præteriti hujus Concilii esse ab Hincmaro, Archi-Episcopo Rhemensis compilatos, censent Petrus de Marca, Labbeus, Lupus, Pagius, Schelstrate. Quod Constantinus à lepra mundatus fuerit virtute baptismatis, ut acta referunt, veteres ignorarunt, quemadmodum observat Platina *Vit. Pont. in Marco* cuius verba sunt. *Quod verò Imperator in lepra incidit (ut vulgò dicitur) baptismoque mundatus sit: conficta prius, de sanguine infantium, nescio, qua fabula, nullo modo credo, Socratem hac in re secutus: qui affirmat Constantinum ipsum, sibi sexagesimum quintum ætatis annum attingisset, agritudine captum, ex Urbe Constantinopoli ad aquas calidas egressum valetudinis causa; nulla de lepra mentione habita. Præterea vero hæc de re à nullo scriptorum suæ mentio; non dicitur ab his, qui ethnici sunt habiti: sed ne à nostris quidem. Nec tacuissent hoc Orosius, nec Eutropius; Non illi qui Constantini res gestas scilicet diligentissime scripserunt.*

Allegatur quidem Gregorius Turonensis, qui *Lib. 2. hist. cap. 31.* de rege Clodovico sic scribit. *Prodit novus Constantinus ad levacrum delaturus lepræ veteris morbum sortientesque maculas gestorum antiquorum recentis latice deleturus.* Quæ verba eò trahente, ut Constantini lepram corporis, per baptismum sanatam, indicent; violentum multis videtur; cum nihil de baptismo, loco, tempore seu ministro illius insinuent; proinde intelligi volunt de lepra spirituali animæ. Sanè verus non fuit morbus corporis, quia lepra divinitus immissa, hauri diu post depulsa fuisse dicitur. Sicut per sorten-

tes animæ maculas non intelligitur alia sordities, quàm spiritualis. Alii malunt Gregorium Turonensem aucta vitata Sylvestri legisse, indeque, ut alii scriptores in errorem inductum. Utiq; Melchior Canus Gregorii Turonensis opera legerat; & tamen *loc. cit. cap. 5.* fatetur. Leprà Constantinum laborasse apud idoneos Authores nusquam legi: sed ejus nominis alium, cognomento Copronymum, unde fortassis error, ambiguitate vocis, inductus. Nisi rumor ille inde videri posset ortus, quod Bizantio ad aquas calidas, valetudinis gratiã, eum egressum ferunt. Hoc verò contigit paulò ante mortem: siquidem in hoc ipso itinere ex hac vita discessit. Fides auctorum: Sylvestri, qui de lepra narrat, jam olim in dubium vocata fuit, ut constat ex Goffrido Viterb. in *Chron. p. 6.* Quod autem de Constantini lepra legitur, videtur apocryphum, quia in nullis libris authenticis, neque Chronicis legitur. Hæc Canus, qui baptismum Romanum tuetur; cum tamen & lepra, & baptismus ille iisdem testibus innuuntur.

Nihilominus Cardinalis Baronius, ut persuadeat, quod ea, quæ habentur in actis illis, de constantini lepra, nulla ex parte careant fide; in notis ad Martyrol. 22. Augusti ita discurret. *Quis miretur Constantinum lepra morbo laborasse, cum & Constantiam ejus filiam eadem tabe laborasse ejus aucta certa veraque testentur? Sane quidem ubi morbus ille erat frequentior in Ægypto regias personas etiam eo tangi consuevisse. Auctor est Plinius Lib. 26. cap. 1. ubi affirmat eisdem reges ex humano sanguine confecto balneo morbum elephanticum curare solitos.* Hucusque Baronius. Quibus nil aliud evincit, quam quod Constantinus Imperator poterit elephantia laborare; nequaquam quod laboraverit. Constantinum lepra infectum fuisse, credit Baronius, quod alii plures mirantur, ideo; quia nullo antiquitatis suffragio, ex possibilibus duntaxat, &

meris conjecturis deducitur. Laboraverit filia Imperatoris eo morbo; laboraverint Reges Athoipiæ; & ex balneo humani sanguinis medelam quaesierint: lepræ Constantianæ testis idoneus ex aucta antiquitate citari nequit, ut ingenuè fatentur, nominati Authores. Quin potius contrarium ex eo manifestè colligere fas est, quod Julianus Apostata, post Constantini obitum, Christianis oggesserit; quod baptismi lavacrum ne ullum quidem à lepra sanaverit unquam. Quod sanè ausus non fuisset, si Constantinus, avi sui frater, eadem laborans, Romæ, tam patenter, hujus virtute Sacramenti, mandatus fuisset. Utiq; Cyrillus Alexandrinus, qui hoc opprobrium refert *Lib. 7. contra Julianum* tam celebre recensque exemplum Constantini, à lepra mundati, opposuisset defuncto etiam Juliano. Ast is solum negat, quod Sacramentum baptismi hanc in finem fuerit à Christo institutum: attamen possit, si Deo placuerit, etiam corporis lepram abluere.

Ad Tertium Respondetur. Zosimus fuit idolatra calumniosus, veræ Religionis hostis qui Principes, huic faventes, acriter perstrinxit; quo nomine in piissimum Constantinum iniquissimè debachatus fuit. Sed Evagrius Hist. Eccles. *Lib. 3. cap. 41.* egegiænetarium maledicum refutavit; ubi vocat eum dæmonem sceleratum & crudelem: atque ex Eusebii silentio ostendit, falsum esse, quod Constantinus Crispum & Faustam interemerit quod pariter Nicephorus *Lib. 16. cap. 42.* inficiatur. Quem ipse Eusebius *Lib. 10. cap. ult. H. E.* dicit Imperatorem omni pierais genere ornatum, una cum filio Crispo Imperatore. Deo Charissimo, & patri in omnibus simili, orientem in suam redigisse potestatem. Nec tantum laudis Eusebium, cui post Constantium vita suppetebat, Crispo tribuisse, si à Patre fuisset interfectus. Arguit quoque Evagrius Zosimum falsitatis in eo, quod scripserit, quasi

Con-

Constantinus ob cæsum Christum & Faustam conscientia stimulis agitatus, ab Ægyptio mysteriis nostræ religionis initiatus fuerit. Quare æthiopem lavit Leunclavius Westphalus, genere & scriptis clarus, quando editâ apologiâ Zosimum impostorem, & mendacem malevolum; ideoque nulla fide dignum, defendere molitus fuit. Sed neque hic *loc. cit.* baptismi recepti meminit, cum Imperatorem in ritibus Christianorum sibi complacuisse asserit. Accedit, quod Romæ anno æræ vulgaris 324, cum filio Crispo non fuerit, quos tamen à S. Sylvestro baptizatos simul Wundalbertus *loc. cit.* innuit hisce versibus.

*Pontificum primus tranquillam cernere
pacem
Qui meruit, Dominosque orbis purgare
lavacro.*

Et tamen juxta computum Baronianum ipso anno hoc contingere debuit.

Ad Quartum Respondetur, Nicolaum aliisque Pontifices in eo, quod facti est, posse errare: quemadmodum ex actis Sylvestri depravatis, sine discussione ea recensentes, quæ nunquam contigerant, à veritate historica erraverunt. Et quia jam tempore Gelasii P. M. hæc acta fidem aut amiserant; aut dubia censebantur; quæ inde Pontifices sequentes desumpserunt, plenam fidem obtinere non poterant. Neque tamen hujusmodi aberratio aut infalibilitati Pontificum in materia fidei obstat, aut culpam seu reprehensionem, infert. Quis enim, instat Papebrochius *in Conat. hist. in Nicol.* in Romano Pontifice, in quantumcunque momenti negotio majorem exigit distinctionemque rerum peritiam aut scientiam quam sua tempora ferebant? aut cur illi debuerunt dubitare de factis, de quibus tunc nemo dubitabat? Talia verò erant Constantini Baptismus à Sylvestro receptus. Providè monet Canus

Theologum *loc. com. Lib. 11.* Ne id statim illi persuasum sit, omnia; quæ magni Auctores scripserunt, undique esse perfecta. Nam & labuntur aliquando, ut ille ait, & onercedunt, & indulgent ingeniorum suorum vuluptati, vulgoque, ut dixi, interdum etiam indulgent: nec semper intendunt animum, & nonnunquam fatigantur, adeo ut Cicero Demosthenes dormire, Horatio verò Homerus quandoque ipse videatur. Summi enim sunt; homines tamen.

Porro Auctores alii, in testes baptismi Romani adducti, citimæ sunt vetustatis, qui proinde rem, ante plura sæcula gestam, referentes absque antiquorum suffragio nihil probant. Quantum ad Breviarium Romanum, in quo legitur quod Constantinus, leprâ infectus, fuerit à Sylvestro baptizatus, patet ex dictis alibi, non continuò censenda esse exploratæ & inconcussæ veritatis, quæcunque illi sunt inserta. Ecclesia tamen hujusmodi proponit legenda. Non (ut bene observat Gerson *Declarat. Verit. Tom. 1. columna 24.* scribens) quod determinet talia de necessitate salutis esse credenda: sed quia proficiunt ad commovendos affectus pios fidelium & in adificationem ipsorum: dum in talibus nihil de certitudine scitur esse falsum: quamvis etiam nesciatur illud certitudinaliter esse verum quod nec oportet: nec ut tale credendum proponitur. Nihil tamen non actum fuit in discernendo falsum à vero; quanquam ulterior discretio à non paucis desideretur. Quando, abrogatis prolixis legendariis, substitutum fuit Breviarium, difficile fuit (verba sunt citati Hagiographi in *Propyl. Dissert. 5.*) in tanto veterum historiarum & apocryphorum multitudine Breviarium illud sic ordinare, ut non multa perquam incerta irreperent, & malè jam vulgaris receptisque opinionibus, quædam etiam, successu temporis, communi eruditorum consensu, proclamarentur falsa. Quapropter variorum Pontificum cura in id incubuit, ut ea fal-

tem tollerentur, mutarenturvè, quæ maxime in oculis occurrerant, reliquis tam diu relictiis eruditorum disputationi & examini, donec Apostolicæ Sedi videretur iterum mutare aliquid; sicut in particularibus quibusdam casibus hoc sæculo nonnulla mutata scimus, plura mutanda credimus. Ita ille: ad quem Claudius Castellanus, eruditus & celebris Criticus Anno 1684. scripserat. Si Dominus Cardinalis Bona vixisset, jam fortè haberemus Breviarium Romanum in multis reformatum. Hoc enim maxime cordi habebat, ut aliquando mecum deambulans per hortum monasterii S. Bernardi ad ethermas, dixit. Insupportabiles sibi esse lectiones pro festo Sylvestri. Cùmque responderem. S. Constantinus Romæ baptizatus non est; cur appellatur communiter Baptisterium Constantini? Respondit, quia ipsum construi fecit, quemadmodum ob eandem causam Basilica lateranensis Constantiniana dicitur? Atque hinc desumenda responsio ad argumentum sextum: quod quidem posset magis extenuari.

*Sed quid opus teneras mordaci rodere
vero:
Auriculas?*

Pert. satyr. 1.

Ad Quintum Respondetur. Acta Constantini Magni probant ejus in orthodoxam religionem propensum animum, ac flaminis, ut vocant, baptismum. Distulerat autem Sacramentum recipere; ut in illius Jordani gurgitibus, in quo Salvator noster, ad nostrum exemplum, lavatus esse memoratur, hoc fieret; quemadmodum Constantinus ipsemet loquitur apud Eusebium *in vit. Lib. 4. cap. 62.* Vel quia fini vitæ hujus Sacramenti perceptione omnes ante actæ vitæ maculas, simul & pœnas exsolvere, & moriens coram Deo mundus apparere voluerit. Vel denique ex alia ratione tardavit; quod

illo tempore haud adeo infrequens erat, ut colligitur ex vita S. Ambrosii, S. Martini item Theodosii & Valentini junioris, qui sine baptismo mortuus perhibetur: alii verò in provecta ætate, aut sine vitæ baptismo initiati fuerunt. Sed neque Constantinus in catechumenorum album recensitus fuerat, nisi dum Helenopoli infirmus appulisset, ubi primum manuum impositione per precationem Episcoporum dignus habitus est: teste Eusebio, *loc. cit. cap. 6.*

Atque ex his patet responsio ad Nicephori argumentum pro adstruendo baptismo, per Sylvestrum collato. Quantumcunque enim honore, cultu aut observantia, tum re tum verbis, Constantinus Episcopus complexus fuerit; ideo baptismum jam recepisse minus rectè infertur: quemadmodum inferre liceret, si de participatione mysteriorum certò constaret. Verùm hoc historia non tradit: sed potius fuisse ab Imperatore humanissimo suæ mentis adhibitos. Urget quidem Cardinalis Baronius ex Eusebio, ipsum mysteriis sacris die Paschalis interfuisse & omnes sacrorum ritus obiisse: neque tamen pro more Ecclesiæ fuisse jussum, ut exiret ante Sacramenti consecutionem: quod non fuisset ipsi permittum, si non fuisset baptizatus. Attamen *Lib. 4. vit. Constant.* ad quem Cardinalis provocat, non legitur, quod sacrosanctis mysteriis eorumque celebrationi interfuerit: sed *cap. 22.* refertur, quod Constantinus omnibus viribus divinos ritus obierit (quod non est omnes ritus obiisse) & quod nocturnam vigiliam, multis cereis in urbe accensis, clariorem reddiderit, diurno verò tempore in pauperes munificus fuerit. Item *cap. 52.* quod in vigilia Paschalis cum cæteris pornoctans vota, precesque Deo profolverit.

Licet verò S. Hieronymus, & S. Isidorus Constantinum ab Eusebio Nicom. baptizatum tradant: hoc tamen alii credere renuunt, ob Eusebii Pamphili &c. &c. silentium. Phor-

O o r i u s

tius ex Gelasio Cizicen : à sacerdote Catholico Nicomed. baptizatum vult. Facti Ecclesiæ Alex : nominant S. Petrum Episcopum solorum. Alii Osum Episcopum Hispanum statunt, magnæ apud Imperat : Authoritatis. Sed quia non est credibile , Eusebium Nicomediensem , in cuius diocesi res agebatur , & ad cuius jus spectasse videbatur , aut voluisse , aut potuisse filio Imperatoris imponere , dum ei scribat ; sese suis hisce manibus patrem ejus baptizasse ; videtur quoque opinio illa , de collato per hunc Eusebium baptismo , cæteris præferenda. Nequaquam verò piissimus Imperator ideo arianismi fuligine obscuratus haberi debet. Quoniam Eusebius , aut se Catholicum gessit , qui simulando Nicæni Concilii Canonibus subscripserat , quod Imperator defendit , ejusque dogmata inconcussa servari voluit ; aut , relicta ad tempus hæresi , orthodoxus fuit. Antiquorum interim nonnulli ejus fidei hanc labem inutere non dubitarunt. Sic enim Hieronymus in Chron. *Constantinus , extrema vita sua tempore ab Eusebio Nicomedienfi baptizatus , in Arianorum dogma declinat.* Eadem & Luciferus Calaritano sententia Lib. 1. in Biblioth. Ma. PP. tom. 4. p. 193. Severi Lib. 2. hist. verba sunt. *Duobus Arius , acerrimis hujus perfidia. Authoribus , Imperator etiam depravatur : dumque sibi religionis officium videtur implere , vim persecutionis exercuit.* Neque inficiari possumus , Constantinum in quosdam Episcopos , Arii fautores , fuisse admodum propensum , illorumque sinistris persuasionibus inductum , sanctum Athanasium relegasse in exilium , quæ causa videtur cur citati Authores de ejus fide male senserint : attamen non constat , quod orthodoxam Religionem impugnaverit. Quin potius post stabilitum , victo Maxentio , Imperium , legum favorabilium , & edictorum benevolentium , nec non privilegiorum indultu , Ecclesiam Dei munivit , Christianosque vexari prohibuit ; adeo , ut Catholicæ Eccle-

siæ Phosphorus jure dici queat. Quare Sylvester Papa eo tempore ansam non habuit , ut , metu persecutionis , in monte Soracte latitaret : quidquid Baronius , ex zolimo potissimum , probare conetur , Constantini Anno 19. Sylvestri Anno 11. aliquam , licet non diurnam procellam persecutionis incumbere potuisse.

Fuit profectò Constantinus perpetuus fidei Nicæni cultor : neque vel ante , post synodum Hierosolymitanam , Arium aliquando suscepit , nisi exhibita confessione quæ speciem rectæ fidei inducat. Scriverit aliquando in quosdam suorum propinquorum & domesticorum , quia nimium credulus , ut Socrates prodit Lib. 4. cap. 24. ad dictus fidei in speciem pietati hominum illorum , qui vel pro Christianis habebantur ; ita , ut , referente Eutropio jussit *non orfos occidi* (quos Baronius , errante , sicut credit Papebrochius , per imprudenciam clamato *innumeros* dicit) hujusmodi tamen actiones , quas justitiæ rigor fortè exquirebat , cum fide & religione nullam connexionem habuerunt. Nec probabilitatem obtinet , quod Neotericus quidam Annalista contendit , innocentes Ariano futuri victimas piæ à Constantino Magno fuisse immolatas. Eas certè in Martyrum candidatum Ecclesia retulisset exercitum , utpote ob veram Religionem trucidatas. Atqui nec tunc quidem martyr , aut in sacris dyptichis commemoratur , aut alicubi colitur , qui sub regimine solius Constantini Imperatoris Romæ passus fuerit. Proinde Papebrochius fatetur , se nescire , quomodo credibile videri possit periculum persecutionis Constantinianæ tantum , ut compulerit Sylvestrum ad quærendas latebras in monte Soracte octodecim passuum millia ab urbe Roma ; præsertim cum ne unius quidem Pontificis recitetur exemplum , qui in sæ vitæ etiam aliàs persecutione urbem dimiserit post Petrum , nè id fieret divinitus motum.

Ceterum eundem Monarcham fidem religionemque, quam amplexus fuerat, illibatam conservasse, non unius tantum prisci scriptoris testificatione compertum habemus. Gravissimum præ cæteris omnibus hac in re censeretur ipsiusmet S. Athanasii ad Solitarios scribentis testimonium. *Quod si Pater Constantii Arium sub oculos suos admisit; eum tamen, ubi perjurum, ac proinde effusis visceribus jacere cognovisset, nulla benevolentia persecutus est; sed re cognita pro hæretico damnatum habuit. Plura patebunt infra.* Eundem Arium penultimo vitæ suæ anno Imperator convenerat, atque ab eo juramentum exigit de observanda fide orthodoxa. Ac licet haud satis circumspexerit Eusebianis Constantinus aurem accommodaverit: quo factum, ut Eustarium, Athanasium & alios quosdam Præfules coercuerit: id tamen non ob assertam Filii consubstantialitatem; sed ob impacta innocentibus crimina contigisse liquet.

Omnibus hisce utrimque sat discussis celebris illa causa, de tempore, loco & ministro baptismi Constantiniani necdum perorata est, Multum cum Sigonio *Lib. 4. de Occident.* Imp. rem in medio relinquunt. Voluit quidem Berengosus Abbas *Lib. 3. de inventi. & laud. S. Crucis* litem hanc dirimere; atque utrique parti satisfacere, quasi minister Baptismi illius fuerit à Græcis nominatus Eusebius, à Latinis Sylvester; atque eadem persona fuerit. *Quia sicut à Legendo lector, à pingendo pictor sic à scribendo Eusebius scriptor bonus dicitur: cumque talis fuerit sylvester, Eusebius fuit appellatus.* Risum teneat amici, qui hanc legitis observationem ridiculam, quam Nat. Alexander vocat lachrymabilem.

Quidam etiam modernorum Literatorum Hælyonia quadam methodo rem componere nituntur. & ut in hac perplexitate sese expedire possent, ingressi sunt viam in viam, ubi nullæ antiquorum extant semitæ,

dum utrumque baptismum, Romanum pariter ac Nicomediensem admittunt. Emanuel Schelstrate *Antiquit illust. part. 2. Dissert. 3. cap. 6.* fateatur quidem hanc opinionem Doctoribus Parisiensibus propositam, & tanquam novam, inauditamque fuisse susceptam: at graviore lance perpensam à semetipso, invenisse, quam verissimum sit illud Salomonis. *Nihil sub sole novum.* Enimvero, inquit, quod ego novum existimabam ante centum annos retulit Eminentissimus Jacobatus *Lib. 10. de Concil. sese ex Jacobo Zeno Patavino Episcopo adducere; ex tribus, quas refert, de baptismo Constantini peritorum sententiis, unam esse eorum que Constantinum à Sylvestro quidem baptizatum admittunt: sed dicunt, eum postea in Arianam heresim lapsus fuisse, ab Eusebio Nicomediensi Episcopo rebaptizatum.* Et hac consonant iis, quæ tunc plures viri Catholici dicebant, quod ab hæreticis baptizati sint rebaptizandi, ut sensit Cyprianus martyr. Unde colligit Jacobatum non abhærere ab ea sententia; & rationem quidem ab illo allegatam explodendam ait Schelstrate; Authorem tamen esse magni æstimandum.

Quasi vero nuda, quantumcunque spectabilis viri assertio, pro Oraculo habenda sit: ut quod hic ante mille annos gestum esse scribit, verum esse oporteat, velut ex tripode desumptum. Nove læ sunt, non historia; si in recensione nuda acquiescit scriptor. Fuit vero Dominicus Jacobatus, Cardinalis creatus Anno 1517. hoc uno celebris, quod tractatum de conciliis evulgaverit. Qui, si etiam inter primi subscellii scriptores collocandus foret, eo ipso tamen indubitabilis, seu, ut Lucianus ait, ex Jovis tabulis non est testis. Nihil præjudicii infert veritati viri prærogativa, scribit Baronius *Annal. tom. 8. ad An. Christ. 604.* ut indeseussum, tanquam divinum Oraculum, quidquid ab illo dictum fuerit, ut verum accipiendum sit. Habeat hæc, ut frequenter alibi, locum

Vinc. Lirinens. Regula. *Quidquid, quamvis ille sanctus & doctus, quamvis Episcopus, prater omnes, aut contra omnes senserit, id inter proprias occultas & privatas opiniunculas à communis, publica & Generalis sententia auctoritate secretum sit.*

Pro Constantini anabaptismo adducitur etiam Marianus Scotus, qui in Chronico Eusebiano, à S. Hieronymo continuato, sic legit. *Rebaptizatus (Constantinus) ad dogma Arianorum declinat.* Atque hæc Chronico Mariani Scoti inserta, quod Anno 1083, conscriptum fuit, testatur Aubertus Miræus, referens tale exemplar ex Bibliotheca Gemblacensi ad se missum. Conjectura quoque desumitur ex ipsiusmet Eusebii Cæsariensis scriptis. Quia vafre suppressit ministrum illius lavacri, cuius meminit; quem S. Hieronymus Eusebium Nicomediensem dixit; alter verò probè noverat ab omnibus Catholicis improbandum. Quare non omnino videri posset à vero alienum, quod Constantinus denuo baptizatus fuerit: id quod Arianis familiare fuisse habetur ex S. Augustino *Lib. de hæres. cap. 48.* item ex sermone S. Ambrosii contra Valentiniani edictum; quodque ipse Eusebius in *Panario* recitat de Eunomio Cizicensi Episcopo Ariano. Cùmque S. Hieronymus in citato Chronico verbis explicitis dicat. *Constantinus extremo vite sua tempore ab Eusebio Nicomediensi baptizatus in Arianum dogma declinat, à quo usque in præsens tempus Ecclesiarum rapina, & totius orbis secuta est discordia.* Inde quidam colligunt, quod imperator dogma illud Arianorum, de rebaptizandis ad se venientibus orthodoxis, exercitè amplexus fuerit. Illudque confirmari posset ex eo, quod Anselmus Episcopus Havelbergensis in Marchionatu Brandenburg. quondam Lotharii II. ad Imp. Græc. legatus scripsit, legiturque *to. 13. specul. apud Lucam D'Acheri. Eusebius quondam Nicomedia Episcopus totus Ariana hæresi fermentatus, sicut Narrat Historia*

à Theodorito Venerabili Episcopo Græco sermone conscripta, & à Cassiodoro per Epiphani-um Scholasticum in latinum nostrum translata Magnum Constantinum Imperatorem in Arianum dogma rebaptizavit.

Verùm quorum refugit animus in Imperatore Catholicorum primo, & verè Religionis restauratore, hoc decumanum crimen admittere, opponunt luculentissimè testimoniis, illum in fide permanisse stabilem. Imprimis Sancti Epiphanii; qui *hæresi 69. de Constantino* asseverat. *Sinceram ex animo fidem constanter retinuit.* Sozomeni *Lib. 2. cap. 32.* ubi refert, Expositionem fidei Nicænæ à Theogno, Eusebioque aperte rejectam non esse, quia noverant Imperatorem in ea sententia esse. Insigne quoque testimonium de Constantini pietate præbere Patres in Synodo Ariminensi, Epistola ad Constantium filium, nec non Patres Concilii Ephesivi Anno 431. Imperatoribus Theodosio & Valentimano scribentes *Fides à trecentis decem & octo Patribus sanctissimis, in Metropoli. Nicæa à S. mem. Constantino congregatis, exposita, cuius Constantini rectam fidem vestra Majestas illustratorem ostendit &c. &c.* Extat Epistola in Phil. Labbei *to. 3. S. Concil.* Quomodo certè citati scriptores & Patres nequaquam scripsissent; si eundem Imperatorem rebaptizatum sua voluntate credidissent.

Atque illa sententia de Constantino, ut minimum octo sæculis à morte illius, fuit profus ignota, sicut bene observat Janningus in *Apol. preliminar.* Eundem verò strenuissimum Imperatorem, de univèsa Ecclesia bene meritum, potissimum Orientalia 21. Maji, ut sanctum, miraculorum gloria illustrem, imò Apostolis coequalem, publico ritu venerantur; quem in Anglia, Sicilia, Calabria, Polonia, Moscovia, Syria dulci cultu affici, perhibet Papebrochius in act. ad diem cit.

Eapropter nemo facillè in animum indu-

cet, quisquis vitam Constantini legerit, illum sive ab Ariano, sive alio quocunque demum baptizatum, impiè, atque Ecclesiæ penitus alienum ex hac vita migrasse, quod neque Baronius, tantus baptismi Romani assertor, credere potuit. Quod autem Eusebius Pamphili ministrum baptismi Nicomediensis non expresserit, inde aliqui conjecturant, Arianum non fuisse: alias ab eodem Eusebio, quod in gloriam eorum cessisset, quibus ipse favebat, nominatus fuisset, quem Photius solum dixit orthodoxum Sacerdotem. Rebaptizationem ante tempora Wandalicæ persecutionis, seu potius vastationis, Arianos tentasse non facile quis in antiquitate Ecclesiastica versatus, admittet: multo minus tempore Constantini Magni usurpatam observat citatus Papebrochius; probatque Christianus Lupus: qui parvi æstimant, quod usitatæ rebaptizationis Arianæ fiat mentio in Pontificali quodam Romano antiquo; aut Catalogo veterum Pontificum, fabulosis interpolationibus inquinato. Et licet admittatur, quod post fata Constantini quidam Ariani attentassent clanculo baptizare; ut ex Augustini & Ambrosii locis citatis colligitur: nequaquam tamen inde rectè inferitur, quod Eusebius Nicomediensis, qui Arianismi notam omni conatu à se amovere studebat, eo usque progressus fuerit; ut in plurimorum Catholicorum præsentia, Imperatorem, divinæ prohibitionis gnarum, ad iterandum baptismum induceret. Rebaptizatio jam antea à Pontifice Stephano fuerat damnata, atque à Concilio Oecumenico, cui Constantinus interfuerat, & subscripserat, prohibita. Qualem ergo veri speciem obtinere poterit, quod idem rebaptizari voluisset? Igitur quod Divus Hieronymus asperiori calamo exerit, Constantinum in dogma Arianorum declinasse, non debet intelligi, quasi heterodoxorum doctrinam de rebaptizando, qualem Ariani necdum divulgaverant, neque usurpabant, amplexus fuisset. Quo etiam ad-

missio, Ecclesiarum rapinæ, & totius Orbis, usque ad tempora Hieronymi, divisio inde subsecuta non fuisset; quandoquidem anabaptismus ille Constantini nec poterat esse Arianis proficuum post Imperatoris mortem, nec Catholicis noxius. Sed quia is visus est illis, qui Concilii decretis, aut simulatè tantum subscripserant, aut apertè oppugnabant, nimium indulgere, ut sic audaciores evaserint; & post obitum; filiorum conniventia, orthodoxam Ecclesiam vehementer impugnaverint, inde Ecclesiarum rapinæ & totius Orbis facta divisio. Quod idem evenisse sæculo XVI. piissimi aliàs Imperatoris, & Catholici Regis indulgentiâ, senserunt majores nostri, lugentque posterum. Athanasii damnationi Imperator, nimium credulus, subscripsit, salva tamen fide. Persuasus quidem erat de viri innocentia: verum quia hic incurrerat multorum odium, ob zelum, ut multi quoque referebant, nimium, in tuenda consubstantialitate; remonstrabant Constantino, quod pax Ecclesiæ nunquam restitui posset, nisi ablegato Athanasio, idèdque, jussu memorati Imperatoris, exulare cogebatur.

At cum ea tempestate Athanasium impugnare, vel lædere, idem erat, quod ad Arianum dogma declinare, id ipsum Hieronymus indicare voluit. Aliter, si senserit; immixtori calamo tribuendum est; quem, præter Imperatorem, alii quoque in vita, & post fata subierunt, quibus Hieronymus, suarum opinionum tenacissimus defensor, ob contrarias sententias, minus bene affectus fuit. Perperam igitur ex hac damnatione Constantinum à fide deflexisse concluditur; malè, denuò baptizatum. Quantum verò ad relegationem Athanasii; poterat etiam prudens in quæstione facti hujus decipi; ut se deceptum agnoscens Constantinus, haud diu ante mortem, & quidem præsentè Eusebio Nicomediensi atque, ne hoc fieret, dissuadente, Athanasium revocavit. Id ipsum testatur Theodo-

retus *Lib. 1. Hist. Eccl. cap. 32.* Restituit autem Alexandria, decreto suo, Athanasium; quamvis adesset Eusebius & summis viribus dissuaderet. Subjungit *cap. seq.* Neque mirum ulli videri debet, tantos illum viros per errorem exilio misulasse. Credidit enim Pontificibus, zelantibus quidem improbitatem, sibi que inponentibus specie & claritate sua. Adducitque exemplum decepti per Sibam Regis David; non quasi Prophetam fugillaret: sed ut Constantinum defenderet: ostenderetque imbecillitatem humanæ naturæ, ac doceret nunquam accusatoribus tantum: quamvis fide dignis, credendum; sed alteram servandam esse reis aurem.

Aliud argumentum, quod Schelstrate purat in rebaptizationem facere, ex Eusebio producit. Qui *Libro 4. de vita Constantini cap. 17.* scriptum reliquit; quod Imperator consuetas cum universæ Ecclesiæ cœtu preces reddebat. Quod solo baptizato competisse constat ex antiqua Ecclesiæ disciplina, quæ catechumenos, multò magis Ethnicos, cum fidelibus orare verabat. Id quod ex Tertuliano compertum habetur; & Chrysostomus, suo adhuc tempore viguisse perhibet. Et hæc quoque ratio fuisse dicitur, cur ipse Constantinus sanciverit, ut, qui ex militibus fidem secuti fuerant, diebus Dominicis possint Ecclesiam Dei frequentare; quo sine ullo impedimento preces Deo persolverent. Alii verò necdum fideles, in campos suburbiorum exirent, atque ibi eadem precationis formâ omnes simul uterentur. Quare dum Constantinus sæpè cum fidelibus publice in Ecclesia orasse fertur; Schelstrate concludit, quod Romæ baptizatus fuerit. Accedit S. Theopanis Martyris argumentum, qui ante annos octingentos collegit, Constantinum fuisse baptizatum ante Concilium Nicænum, ex eo fundamento. Quod si enim baptizatus non fuisset, cum sanctis Patribus nequaquam orasset, quod nequissimum est dicere & sentire, &c. &c.

Hoc argumentum, etiam à Baronio pro baptismo Sylvestrino usurpatum, si innumum sit, ut eum probet; multò minus valebit evincere rebaptismum. Præ cæteris respondet Daniel Papebrochius *loc. cit. cap. 2. n. 16.* Expendi accuratè capita, quæ allegantur omnia: & ex omnibus nil aliud potui conficere, quàm quod pius Imperator, qui militibus nondum initiatis formam comprecationis communem præscripserat, ad quam diebus Dominicis convenire deberent, in patentes suburbiorum campos, idem in suo palatio, ut ex Eusebio, *cit. cap.* legitur, intruxerit, ac solemnes preces persolveret, stans, ut *cap. 21.* refertur, quotidie temporibus, solus cum solo Deo agebat. Nusquam autem invenire est verbum, quo ad sacros Ecclesiarum conventus (quamvis etiam hi, excepto sacrificii tempore non initiatos admittent) ingressisse se, intelligatur. Pergit deinde, quibusdam interjectis idem perspicax historicus. Quod autem ad Nicæni Concilii conventus pertinet ad quos etiam gentiles Philosophos admittis novimus, cur à fundendis secum ibi precibus eum excludissent Patres, qui eis & hanc conveniendi facultatem, & ferenda sententia libertatem faciebat, suo etiam zelo ad fidem stabiliendam præibat? Testabitur hoc apud Gelasium Cyricenum illius oratio ad Conventum habita, quæ tamen immerito objicitur, quasi in ea plus dicat, quàm si Christianam tenere ac prædicare fidem, cui omnem suam felicitatem acceptam referat; & cujus stabiliendæ causâ illuc pariter cum illis convenerit; propter quam Christianus passim credebatur & dicebatur: sicut reverentia erat, firmum habens propositum suscipiendi tempore opportuno baptismi. Et hoc omnino credo multò citius facturum fuisset nisi meditata ad loca sacra per matrem exornata profectio nova ac nova dentidem impedimenta intervenissent, Eusebio fortitan Nicomediensi non nihil conferente, ne

de iis, quæ contra Athanasium perperam acta erant, in Syria certius aliquid cognosceret. Cum autem suscepta in Persidem expeditio, eò quasi per se duceret, vix mihi est dubium, quin tali consilio Episcopos voluerit habere in bello, præter morem, comites, ut eorum præsentia baptismus suus honestaretur. Sed valentem robustumque adhuc virum prævertit mors, veneno, ut creditur, accita à patruis, certè à Deo permissa.

Hæc, ut satis accomodè ad elucidandam historiam seriem dicta sunt: sic ad decisionem multum agitatae Controversiæ minus sufficientia quibusdam videri possent; utpote solis conjecturis innixa. Vero verius in cunctis deprehenditur illud Plinii Secundi in *Præfat. Hist. Nat. Res ardua est vetustis novitatem dare, novis auctoritatem, obsoletis nitorem, obscuris lucem, fastiditis gratiam, dubiis fidem.*

Cæterum, quod Constantini anabaptismo potissimum obstare viderur: quia publico cultu afficitur, & ut Sanctus in Ecclesia colitur; nequaquam huic opinioni adimit omnem probabilitatem. Eius siquidem propugnatores facillè reponent, quod Imperator Episcopis, alioquin viris conspicuis: sed Cercopum cætui, id est, panurgis, & malitiam suam vastè regentibus credens, Athanasium relegaverit: viam autem æternitatis ingressurus de actis suis cœperit rationem inire, & præveniens Dei iudicium, de exilio Sancti huius viri verè doluerit, jussitque suæ Sedi restitui: ita per errorem poruerit induci ad receptionem secundi baptismi. Quod

scelus postea agnoscens, de eodem, sicut de cæteris antea actæ vitæ noxis doluerit. Quod demum justificatus à persecutione innocentis, æquè ac Sacrilegio in receptione initerabilis Sacramenti, à piis fidelibus coli cœpit. His ita constitutis; nullo negotio convellitur, quod in his terminis Baronius format argumentum. Constantinus in suburbis Nicomediæ ab Eusebio Ariano, loci illius Episcopo, fuit baptizatus, adeoque impius ex hac vita migravit. Falsum hoc; celebratur enim Constantini demortui pietas ab universa Ecclesia: falsum igitur & illud.

Ast quia ex hypothesi incerta nonnisi incerta deducuntur: sintque incerta illa, quod Constantinus in vitæ extremo doluerit de susceptione illiciti baptismi; æquè ac alia, quod non doluerit: hinc neque Eusebius, seu Cæsareensis seu Nicomediensis inde mendacii certò argui: neque Constantinus post mortem inter impios certò recenteri poterit, qui inter Sanctos Martyrologii Romani nunquam recensitus fuit.

Quisquis hæc ergo omnia & singula accuratiori mentis trutina ponderabit; experietur se coactum ad utriusque partis defensores effari illud Terentianum *phorm. act. 2. sect. 3.*
*Fecistis probè; incertus sum
 multò, quàm du-
 dum.*

* * *

CON-